PRIMVLA VERIS SEV PANEGYRICA;

5.

Ad Excellentiss. Principem Palatinum.

ACCESSIT

IN AVGVSTISSIMAM GLORIOSISSIMI REGIS *IACOBI* INAVGVRATIONEM,

Carmen Seculare, &c.

Itemq́ In Nuptias Illustriß. Principp. FREDERICI & ELIZABETHAE, Meletemata.

Omnia Brittannæ *cedant miracula* terræ,
Natura hîc *posuit quicquid vbiq́ fuit:*

For my Learned
Loueing ffreind m
Armeston this 6

LONDINI.
Typis *G. Stansby*. Impensis *I. Budge*. 1613.

Excipe pacato, Cæsar; Germanice; vultu
Hoc opus; & timidæ dirige navis iter.

SERENIS-
SIMO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, D.
FREDERICO;
COMITI PALATINO
AD RHENVM, SACRI R. IMPERII
SEPTEMVIRO, VTRIVSQVE
BAVARIÆ DVCI,
AVREÆ PERISCELIDIS
EQVITI AVRATO; IACOBVS ARETIVS
OXONIENSIS, CELSITVDINI SVÆ
DEVOTISSIMVS, ÆTERNVM
OMNIGENÆ FOELICITATIS
VER ARDENTISSIMIS
VOTIS P.

CLARISSIMO IUVENI, H. Αρετείῳ. S.

1.

Angl. Prim-rose.

*Lilia miretur vulgus: tua * Primula Veris*
Mille præit vulgi Lilia, mille rosas.

2.

CResce Palatino Rosa formosissima agello,
Semper honorato conspicienda sinu.

V. φιλάρετος. Leidensis.

In Carmen eius Seculare.

OTe fœlicem! qui dum hæc Σωτήρια pangis,
Omnes Caligenas in tua vota rapis.

Il medesimo.

QValia iam moriens modulatur carmina cygnus,
Fundere quale soles tu Philomela melos:
Tale tuum nobis carmen diuine poeta,
Nec superat modulos ille vel illa tuos:
Cedite Germanæ Philamelæ, cedite Cygni
Brittanni; vtrosque hic vicit, vterque simul.

Il Cándido.

Imperium sine fine dedi.



Laurentius Abel Ar. B. F.

Orbis habetis opem toto vel dissiti ab orbe.

Ad Illustriss. P. Palatinum.

Magnanimi laudes Herois & inclyta famâ
Nomina, nec Phœbo ductore, nec auspice Musâ,
Aggredior fragili demens cantare cicutâ.
Ætherei Proceres Aulæ omnipatentis Alumni,
Astrorum decus, ô qui mille coloribus alis
Æthera tranatis vastum, qui sidera, quiq;
Voluitis ingentes cæli septemplicis orbes,
Aspirate meis fœlicia numina cœptis,
Et Paradisiacas Comiti recludite portas.
Maiorum titulos & auitæ laudis honores,
Et genus & proauos, & tot tibi fulta trophæis
Atria nobilibus, patrum monumenta priorum,
Describant alij, quibus aut prosapia stirpis
Virtute est potior, probitas aut vilior ortu.
Quid sacra nobilitas, vel quid genus ab Ioue summo
Profuerit, vel quid memorabimus acta priorum
Gesta patrum, si nil memorabile gessimus ipsi,
Quod nostri serâ narrent ætate nepotes?
Virtutem à nobis, vitam referamus ab illis.
Non tua nobilitas (quamuis nil clarius illâ)
Non veteres Proaui (quamuis nil altius illis)
Sunt mihi cantandi: tu nunc eris Ipse canendus,
Ipse canendus eris; præ quo vix nobilis ipsa est
Nobilitas, patrumque decus prænobile sordet;
Tu mihi materies sis carminis; enitet in te
Aurea lux. Vmbras sequitur qui mortua iactat.

Augustissimæ Celsitudini V.

æternum sacer,

IACOBVS ARETIVS.

Præludium.

Χαίροιτε μοὶ ἅπαντες
Θρήνοι· ἐμὴ χέλυς γὰρ
Μοῦνον ἔρωτας ἠχεῖ.
Θέλω λέγειν Κάρωλον,
Θέλω δ' Ἐῤῥικον ᾄδειν,
Ἁ βάρβιτος δὲ μοῦνον
Φεδερῖκον ἀντεφώνει.
Κἀγὼ μὲν ᾖδον * αἶσ
Ἄνακτος· ἡ λύρη δὲ
Ἐλισσὰν ἀντεφώνει.
Χαίροιτε μοὶ ἅπαντες
Θρήνοι· ἐμὴ χέλυς γὰρ
Μοῦνον ἔρωτας ἠχεῖ.

* *Allus. ad Eidyllia nupera, quæ ceu Ancylia cœlo delapsa, à Florentiss. Academicis excepta sunt.*

EIDYL-

EIDYLLIVM.

Alexis.

Mopse puer, noſtri pecoris fidiſſime cuſtos,
Ecquid (ego vnanimem dum concomitatus *Amyntam*
Abfuerim) fauſtâ ſuccedunt omnia ſorte?
Nec pecori vulpes (quando eſt ignara luporum
Anglia) nec teneris rictu canis hybrida fœtis
Eſt meditata dolos, nec, ſi meditata fuiſſet
Inſidias, impunè tulit, læſitve videntes? b

Mopsvs.

ORbe pruinoſo pluvialibus atra capillis
Sexta receſſit hyems, jam ſeptima voluitur æſtas,
Tempore quò primò pactâ mercede laboris
Conductus, ſtudio tibi non famulabar inani;
Nec tamen his annis præter quos improba tabes
Suſtulit, aut fati nunquam medicabile vulnus,
Aut ex centenis capris tibi defuit vnus,
Aut ex millenis ouibus tibi defuit vna,
Et dubitabis adhuc fidei confidere noſtræ?

Alexis.

NOn equidem dubito, laudo magis; omnia curæ
Vſque adeò commiſſa tuæ procedere dextris
Auſpicijs memini, nec erat non gratus *Alexis*:
Teſtantur noſtram geminata ſalaria mentem
Officijs delata fidem facit annua merces,
Pluraque dona feres ſi non contemnis *Alexin*.
Nunc autem gelidâ cum tota armenta ſub vmbrâ
Graminis attondant florem, ſecura pericli;
Ocia feſtivo fallamus inertia cantu.

O

O Dea quæ teneros hominum moderaris amores,
Æquora quæ conchâ metiris,& æthera curru,
Seu te celsa Paphos,seu te Cytherëia seruant
Littora,seu fuluis Amathus fæcunda metallis,
Seu Latonigenæ celebris Cnydus æmula Delo,
Lenis ades, tollasque meam super æthera Musam,
Quæ varios casus dum pandere gestit amantûm
Te Dominam solam, te Matrem implorat amorum.
Ante alias omnes quas Græcia continet vrbes
Cecropiæ radijs affulgent laudis *Athenæ*,
Offuscantque suo reliquas splendore sorores:
Siue situm spectes, situs est & carmine dignus;
Hàc etenim Macedûm regio ditissima cingit,
Sublimes illàc ostentat Achaïa turres:
Siue locum spectes,locus est & numine dignus:
Hanc etenim referunt vrbem magis omnibus vnam
Doctiloquam (Cecrops cum vix benè conditor arces
Finierat) soli sibi consecrâsse *Mineruam*:
Posthabitis *Danaûm* templis,hic illius arma,
Illius ara fuit, quam circa ramus Oliuæ
Plurimus, & teneras nutriuit pampinus vuas.
Egregios inter Proceres non vltimus vrbis
Fertur ab antiquâ generis primordia stirpe
Ducere T imagenes, primæ quem flore juventæ
Forma virens comisq; decor facieiq; decoro
Æmula *Narcisso* decorauit, & oris honores
Et teneras lanugo genas vestiuit obumbrans:
Non illi lituos non quæ mouet acris *Enyo*
Arma, nec vndantes hostili sanguine campos
Cura sequi studiumq; fuit, non horrida castra
Quà tuba sanguineas trahit ad fera bella Phalanges,
Sed studium nutrire canes, stimulare veredos,

Gestare

Geſtare accipitres, damaſq; agitare fugaces,
Et lepores & apros, & quot volucreſq; feræq;
Per nemorum ſaltus per inhoſpita teſqua vagantur.
Atqui non turmas ardentiùs ille ferarum
Per virides venatur agros vulpeſq; lupoſq;
Et lepores ceruoſq; canum vi fultus odorâ,
Nec magis aëreas rapido falcone volucres
Per cœlum ſectatur agens, nidoſq; latentes
Explorat, quàm blanda domi ſcrutatur, & illum
Turba puellarum tacito venatur amore;
Et varias juveni dubijs intendit amato
Artibus inſidias (quas non amor invenit artes!)
Sic venatorem multæ venantur & ipſum,
Vtq; ille intendit ſic intenduntur & illi
Retiaq; & caſſes, catuli, fraudeſque latentes,
Queis facilè incautos irretit fæmina amantes:
Retia ſunt etenim vultus, ſunt oſcula caſſes,
Sunt catuli fletus, ſunt & ſuſpiria fraudes;
Heu quàm difficile eſt iſtis euadere technis,
Et ſemel implicitas laqueis ſubducere plantas,
Inſtruit in noſtram quos ſubdola fæmina mortem!
Ante alias illum quotquot petiere puellas
Quæ prece quæ precio toties adiere ferocem,
Sed prece ſed precio toties habuere repulſam,
Futilibuſque leues incaſſùm caſſibus auras
Captârunt, *Myrtilla* fuit, pulcherrima virgo,
Virgo ſagittiferas inter non vltima Nymphas:
Aurea flauentes Nymphe turrita capillos.
Illa vbi *Timagenem* dumoſa per auia ſolum
Figentem ceruos arcu, damaſque petentem
Viderat, en alijs mox figitur ipſa ſagittis
Quæ primo molles jactu pupugere medullas.

Stat vetus & multos nunquam violata per annos
Virginibus Triuiæ lex intemerata *Dianæ*,
Vt si quam vacui cœpissent tædia lecti
Sacra Deæ delubra petat, Zonaq; solutâ
Portaret plenis Diuæ pia sacra canistris:
His citò (*quid celeres cito non peragetis amantes?*)
Exactis *Myrtilla* sacris petit auia cursu
Alato (pedibus volucres Amor addidit alas)
Itque reditque frequens, & per colles que nemusque
Dumosa sque vias inimicum explorat amatum.
Est in secessu longo locus; arboris illic
Efficit omne genus teneris vmbracula ramis;
Illic pacificas *Tritonia* nutrit oliuas,
Et corylos genialis *Hymen*, Semeleius illic
Frugiferas vites semper sibi seruat *Iacchus*;
Illic est platanus, myrtus, nux, fraxinus, ilex,
Cumque *Nyassæis* redolentia cynnama citris,
Et nullum laurus frondes positura per ævum.
At non arborëis horrescunt omnia dumis,
In medijs nemorosa jugis extendit eunti
Vallis iter gelidum, quod plurima circuit arbos
Efficiens teretem rami compagibus arcum.
Hinc atque hinc multæ quercus multæque minantur
In cœlum rupes, leni quibus imminet vmbra
Nobile quercetum, circa vndique & vndique circum
Albescunt niuei miro fulgore lapilli:
Quos inter densa (visu peramabile) scena
Vmbrantur viuis excisa sedilia tophis,
Quique istis habitant confinia rura coloni
Monticolas Satyros, Faunos, & Pana bicornem,
Syluarumque Deos & cætera numina ruris
Huc coijsse ferunt——

Forte

Forte pererratis nemorosi collibus arui,
Et Labyrinthæos syluarum emensa meatus,
Venatrix *Myrtilla* comas neglecta fluentes,
Nuda genu, vestesque sinu collecta reuinctas,
Atque habilem de more gerens succincta pharetram,
Sicut *Amazoniam* fingas decurrere matrem,
Dum natam amissam quęrit, quam forsitan agris
Trux Scytha ludentem rapuit prædator, at illa
Transit Hyperboreas glacies Tanaimque niualem,
Thrëiciamque petens citò Thermodoonta, pererrat
Littora vicinumque nemus, colleſque viaſque,
Spemque metumque inter dubia atque in vtrumque parata
Siue subire necem seu charum offendere pignus:
Haud minor exacuit pręcordia Virginis ardor,
Illa suum quęrens (heu quam graue vulnus amoris!)
Timagenem, colles, juga, compita, tesqua peragrat.
Intrauit vallem quà ruris amęna voluptas
Irriguis nutritur aquis, quà flore perenni
Gramineus blanditur ager, quà denique latè
Mollia florentes pingunt viridaria campos.
Heu lætis quam læua fides! quam sæpe venenum
Mella tegunt! quam sępe latet sub floribus anguis!
Vix bene virgineis redolentia gramina plantis
Affixit, mollique nouas pede presserat herbas,
Cùm stetit, atque oculos blanda dulcedine pascens,
Illecebrasque loci, fonteſque & florida Tempe,
Et Paradisiacis miratur flumina ripis:
Dum stupet, & partes auidè circumspicit omnes,
Haud procul (hei miseræ) lassum videt ecce iacentem,
Timaginem (pro quo tantos perferre labores
Sustinuit, tot dura pati, tot voluere casus)
Fronde super viridi, medijsque amplectier vlnis,

Cęlesti Nympham formâ facieque *Melissam.*
Obstupuit,retróque pedes oculosque repressit;
Candescunt pallore genæ,farique volentem
Vox fugit,& tremulus linguæ stupor impedit vsum:
Qualis *Aristæum* fugiens per flumina pręceps
Eurydice, Getici coniux miseranda poëtæ,
Immanem pede pressit hydrum,quem fortè virentes
Seruantes ripas alta non vidit in herba,
Illa pedem reprimit,multo torpore madentem;
Nec prębent plantę gressum, nec lingua loquelam:
Haud secùs obstupuit pulcherrima Nympha *Dianæ*,
Obtulit hæc oculis cum sors spectacula mœstis
Tristia; ter voluit lacrymarum effundere riuos,
Sed nec gutta cadit,querulamque bis edere vocem
Conatur,bis muta silet,ter labra resoluit,
Ter premit: at tandem lachrymas & verba refundit:
Siccine tu crudelis? ait;nec pluribus vsa,
Adijcit & verbis luctus,& luctibus iras:
Inque odium antiquos subitò mutauit amores.
Scilicet vt formam *Proteus*,vt *Cynthia* vultum,
Chameleon pellem,Sors insidiosa fauorem,
Vt Zephyrus variat flatum,sic fœmina mentem:
Certius hôc nihil est quòd *Nil incertius illâ est.*
Elinguem tenuere diù dolor iraque linguam,
Et voci & verbis stupor obstitit, inde solutis
Obijcibus durum luctantia verba meatum
Inueniunt,tristesque refert vox ægra loquelas;
Vt semel emissa est,factoque foramine,claustris
Prorupit,vacuas implens vlulatibus auras
Infremit,& rabido diras tonat ore minaces.
Vt quibus in vasto pater *Æolus* imperat antro
Atque eluctantes speluncis abdit in atris

Auster

Auſter atrox, Boreaſq; furens, Zephyruſq; ſoniorus,
Impatienſq; Eurus frænarier ora lupatis,
Cum præbent latam perrupta repagula portam,
Luxuriant, dirumq; fremunt, tenebriſq; ſerenum
Obuoluunt Phœbum, terras & turbine perflant.
Filia *Latonæ* (lacrymis effatur obortis)
Quam colui, quamq; admiſſo modò crimine læſi,
Perfidiæq; vltrix *Rhamnuſia*, quæq; precantûm
Non auerſaris miſeras *Aſtræa* querelas,
(Si tua non penitus fugerunt numina terras)
Dîq; Deæq; omnes meritas perſoluite pœnas
Huic ſceleri, tantumq; grauis premat vltio crimen.
Hæc ait, & vallem linquit, rapiturq; per auras,
Præcipitem quocunq; trahunt retrahuntuè dolores:
Nec cœtus hominum poſthàc, nec ciuibus vrbes
Effœtas curat, nec pabula lauta palato,
Dulcia nec molli ſapiunt bellaria linguæ:
Tantùm inter virides, obſcura cubilia, ſyluas
Vmbroſis latitare jugis, arcuq; frementes
Figere juvit apros: illi Dodónia quercus
Arbutaq; & morus, ſylueſtria mala, nuceſque,
Et cum candenti vaccinia nigra liguſtro
Indulſêre cibos, Acheloïa pocula, potus.
Intereà *Daphnis* (agro qui ſolus in illo
Formoſas ſeruabat oues formoſior ipſe)
Imagenem procul aſpexit, quem ſæpiùs ipſas
Iuris delicias vicinia tota vocabat.
Vt procul aſpexit, capris ouibuſq; relictis
(*Thyrſillus* curabat oues capraſq; relictas)
Obuius egreditur *ſudans!* lætuſq; puellum
Occupat amplexu blando, comiſq; ſalutat.
Non illis melior quiſquam, nec doctior oris

Daphnide florebat, digitis seu plectra decoris
Tangeret, aut resona modulos cantaret auena:
Siue illi carmen noctis Regina silentis
Cynthia, seu vanè fati *Cassandra* futuri
Præscia, diuino concedas *Tityre* Vati.

MOPSVS.

CLaudito lactifluos (Pastor dignissime) riuos
Ambrosij laticis, bibulas sat Nectaris aures
Imbuit, *immodicum pariet fastidia Nectar.*
Et nunc Hesperium *Phœbus* decliuis ad axem
Occidet, at nomen non occidet illud *Alexis.*

IN AVSPICATIS-SIMAM PIENTISSIMI *AC POTENTISS.* REGIS IACOBI INTHRONIZA-TIONEM:

Carmen Seculare.

PSAL. 89.

Semen eius in ſeculum *erit, & Thronus eius ſicut Sol.*

Ἐκ σκότους φῶς. 2. *Cor.* 4. 6.

LONDINI.
Typis *G. Stansby.* Impenſis *I. Budge.* 1613.

AVGVSTISS. REGI.

S.

NEc te pœniteat Vatis (Rex maxime) parvi:
Sapè etenim parvis præbent sua numina magni
Cœlicolæ, & tenero gaudent celebrarier ore.
Quam superi cupiunt, noli contemnere laudem;
Quodq́; illos deceat (quamvis tu proximus illis)
Non tibi dedecori est: vt tauri sanguine fuso
Iuppiter, exigui sic gaudet thuris honore:
Tu quoq́; (sic dextris faueat tibi Iuppiter astris)
Hic imitare Iouem: Iouis *est imitatio tuta.*

ILLIVS ARAM.

CARMEN SECVLARE.

Χαίρετε Βρεττανοὶ χριστῷ κεχαρισμένον ἔθνος
καὶ λιγυραῖς ὑμνεῖτε Θεὸν πολύαινον ἀοιδαῖς·
ὅττ' ἡμῖν ἔκπεμψεν ἑῆς ἀπὸ πατρίδος ἀίης
Κλεινὸν Ἰάκωβον Σκοτίης τερψίμβροτ' ἀρχόν.
ἦλθεν ἄναξ, γήθησε δ' ἀπείρονος ἔχματα γαίης,
καὶ λιμένες δ' ἐγέλασσαν ἐϋστέρνοιο θαλάσσης,
καὶ χόρος ἀστερόφοιτος ἐπουρανίων πολιητῶν
θεσπέσιον κελαδοῦσιν Ἰακώβοιο ἔπαινον.
ἤλυθε τειρομένοισι φερέσβιος Αὐτοκράτωρ,
ἦλθεν ἀποσκεδάσων στυγερὴν Ἀγγλοῖσιν ὀιζύν,
Ἀγγλοῖς καμνόντεσσ' ὀδυνήφατος ἠλθ' ἰητρός,
φέρτερος Ἀπόλλωνος ἀκερσεκόμου κιθαριστοῦ,
καὶ Ψευδαθανάτων παιήονος ἰητῆρος,
ὦ ποκυφάρμακος οὐδ' Ἀσκληπιὸς αὐτὸς ἐρίζοι,
ὦ πολυφαρμάκου οὐδ' Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
ἴδμον' ἀκεστορίης Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.
ἦλθε φάος γαίηνδε ὀλύμπιον οὐρανομῆκες
θεσπεσίην Ἀγγλοῖσι χέον τερψίμβροτον αἴγλην.
Γαίῃ δ' αἴγλη ἔλαμπε θεόσφορος, ὄφρα ὁμίχλην
ἐξελάσαι πραπίδων μελανόπτερον ἠεροεσσῶν.
Ἀσπάσιος πάντεσσι θεώνυμος ἵξατο ἠώς·
ἠέλιος φαέθων κόσμου μεγακυδὲς ὅραμα
εἵματα παμφανόωντα περισφίγξας χροῒ καλῷ
κυδιόων ἄντειλεν ἀγαλλόμενος φρέσιν ἧσι.
καὶ δὲ σεληναίη γε κερασφόρος, αἰ-ἐπιδευής
φέγγεος ἀλλοτρίοιο, καλὸν στίλβουσ' ἐβεβήκει.
Ἀστέρες ἀστράπτοντες ἐκίαθον ἔνθα καὶ ἔνθα,
ἀγλαΐῃ γαίοντες. ἐν ἰχθυόεντι δὲ πόντῳ
ὑγροπόρων νεπόδων πύκιν' ἐστιχόωντο φάλαγγες.
κήτεα δελφινές τ' ταχύδρομοι ἀγκυλόνωτοι,
φύσαλοι ἠνεμόεντες ἐρεύγοντες πολὺν ἀφρόν,
ἔπλατοι ξιφίαι μεγακήτεες, ἠδὲ χελιδών,

τευθίδες, ἴρηκές τε θοοὶ, βύθιοί τε λέοντες,
ἄλλα τε μυρία φῦλα τὰ βένθεσιν ἰσχανόωνται,
εἰναλίων σκιρτῶσιν ἐπ' ἀργυροδινέι ἅλμῃ,
Αμβροσίου βασιλῆος ἐσαθρήσαντα πρόσωπον.
ὄρνιθές τε τανυπτέρυγες δ' ἀνὰ δάσκιον ὕλην
οὐρανὸν εἰσανιδοῦσ' ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
αἵτε καὶ ἠερίην θαμινὰι τέμνουσιν ἄταρπον,
αἵτε χαμαίζηλοι θαλερὰς πατέουσιν ἀρούρας.

Ταῖς δ' ἄρ' ἀοιδῆς ἤρξατ' ἀηδὼν ποικιλόδειρος,
ὦ φίλαι, ἦ μέγα θαῦμα τό δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι,
ἦλθεν ἄναξ γαιήνδε ὀλύμπιος ἀστεροπητής
οὐρανὸν ἐκπρολιπὼν, Ἀγγλοῖς βιόν ἐγγυαλίξων.
ἀλλ' ἄγεθ' ὑμνέμεθ' ὦ φίλαι φερέζωον ἄνακτα.
ὣς εἰποῦσα ὀπὸς θ' ἡγήσατο, αἱ δ' ἄρ ἕποντο·
Κλαγγὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν ἀειδόντων πετεηνῶν.

Τετραπόδων δ' ἀπάνευθε γένος βαρυσώματ' ἀγροῖς
εὐχλοεροῖς σμαράγησεν ἑῇ βρυχώδεϊ φωνῇ
γηθόσυνον, σπουδῇ δὲ τ' ἐλεύθερον ἔννεπεν ἦμαρ.
ὣς ἄρα πάντα τὰ τ' ἐστὶν ἀνὰ τραφερὴν τε καὶ ὑγρὴν
ἀσπασίως δέξαντο θεὸν γαίηνδε μολόντα,
εὐφήμοις στόμασίν τε θεουδέα μῦθον ὕφαινον.

Μοῦνος δὴ ΠάΠΠας στυγερώνυμος * Αντίχριστος
Σκηπτοῦχον τ' ἴχνευσ' ἀνελεῖν τε ἑ θυμός ἄνωγεν.
ἀλλὰ καὶ ΠαΠΠολατρῶν ξύμπας χόρος ἄντιον ἦλθεν,
καὶ Ιεσουιτῶν ἐχθρὸν γένος αἰολομύθων,
δίκτυα τεκτήναντες ὅπως ῥα οἱ αἰπὺν ὄλεθρον
τεύξειαν, θυμόν τ' ἀπὸ οἱ μελιηδέ' ἕλοιντο.
οὐδ' ἄρα δὴν ἐδύναντ', ἐπεὶ οὔπω ῥ' ἤλυθεν ὥρη
ἣν ῥα Θεὸς προὔριζε βίου τέλος ἔμμεναι αὐτῷ.

Αλλὰ σὺ ἵλαθι ἄμμιν ὀλυμπιε ὀλβιόδαιμον
χριστὲ ἄναξ, οἵ σοῦ γε φερωνυμοι εὐχόμεθ' εἶναι.
καὶ θρασὺν ἐσμὸν ἀλιτρὸν Ανακτοφόνων * Γεσυϊτῶν
ἐς κρίσιν ἐκκάλεσον πολυμάρτυρα εἰς τ' ἐρεβεννόν
τάρταρον οὐλομένοιο πυρὸς πλήθοντα ἴαψον.

Σὺ δ' ΙΑΚΩΒΕ
Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, Θεὸς δέ σοι ὄλβια δοίη.

* VICarIVs DeI generaLIs InterrIs, *Expressum continet Apocalypt. Bestiæ numerum, viz. 666.*

* *Lycanthropos Iesuitas intelligo —quâ non immanior vlla Pestis & ira Deûm Stygio sese extulit Orco.*



Rabbinica.



Thalmudica.

NIgzar le didara meribona dealmin,
Katro bar telaſa gauunin:
I haki kelaphe lai ant ſhoſhab miltenen
Mimaſhege chiabha veapikarſin.

GERMANICA.

Den Durchleuchtichsten JACOBO den Britannischen Insulen Monarchen vnd mechtigen potentaten, &c.

Hochster Gott in deinem thron,
Der Du Jacobum hast erkorn,
Uber dreij kron zu regieren,
Mit weisshet hast Jhn hoch thun zieren.
Das er vil Konig an der macht
Trift vber die auch Bapstlich pracht.
Drumb bitten wir dich vnseren Herrn
Gluk und vil heil welst Jhm beschern.
In allen den norhaben sein
Schutz vnd beschirm Konig dein.

D' Acute Spine il Signore Gieſu Chriſto
Si cinſe il capo, ei qual ſommo Signore
Se l' orna d' oro, e gemme di ſplendore
Cotal che fra i mortai gia mai fù uiſto.
Tiene ei nèl Papal Regni tre corone
Non poſſedendo i Regni, e tu gran Rege
Con vna ſol di tre reggi il baſtone.
Suegliati dunque che da l' alte ſeggie
Per te Iacomo inuitto il confalone
Fia deſtinato ſol dè l human grege.

BOHEMICA.

RZijmſkoho ſijna toho zatraceneij
Biſcopo az do piekla wymijtatſgeij;
A datſgeij katuom dokudzebij
A zabijtij zmordouatijgeij.

RUSSIACA.

TAh bijch thebe mijlloſthijnij hoſphodtar
Zcijll wellmmij raadd dtooho
Abbijſtde mijlloſtdijwij krhoollu pobijllij
Rijmms-kohho knnazn mnohho.

POLONICA.

CHoronoualtſe pan Boog naiaſneſi krolu
Vienze trozatſnego
Cuz to tak vontpias voiouats Rzijmskego Papa
Tſapcon chrſeſlouanego.

I. B. Ex tribu *Leui*,

ITALVS.

Ad verb. Iustus Deus vnũ diem tuum Diues-Altissime Rex mille faciat: Et vtinã filius tuus infideles Turcas fũditus extirpet.

CHak Tachála byr ggun senin
Dóglet Sultán Padisàch bin eglesin':
Chem giálach ogloûn senin'
Imansis' Mousulmán dibilic cursin'.

Ἄθλιος Ἕλλην F.

RHAPSODIA,

è *Panegyricis Clariß. Poetæ Opusculis.*

IN NOBILISS. INAVGVRATIONIS FESTVM.

AGaine the glorie of our westerne World
Vnfolds himselfe, and from his eyes are hoorl'd
To day a thousand radiant lights, that streame
To euery nooke and angle of his Realme.
His former raies did only cleare the skie,
But these his searching beames are cast to prie
Into those deepe concealed vaults of sin,
Where Pope, and Priest, and Iesuit sit within,
Carowsing Princes bloud in siluer bowles,
And make their Den the slaughter-house of Soules.
From whose foule reeking cavernes first arise
Those dampes that so offend all good mens eyes;
And would (if not dispers'd) infect the Crowne,
And in their vapour her bright mettall drowne.
But here * he comes that is no lesse a part
In *this dayes* greatnesse then in each true heart;

* To the most Illustrious Prince *Charles*.

His

His Countries wonder, Hope, Loue, Ioy, and Pride:
How well doth he become the Royall ſide
Of that erected and broad-ſpreading Tree,
Vnder whoſe ſhade may *Britaine* euer be.
And from this branch may thouſand branches more
Shoote ore the Maine, and knit with euery ſhore
In bonds of Marriage, Kindred, and increaſe;
And ſtile this Land, the Nauill of their peace.
The memorie of this ſo rich a day
Let no Age leeſe. O that it euer may
Beginne our Spring, and with our Spring the Prime,
And firſt accompt of Yeares, of Months, of Time.
Let *Envie* know, great King, this day is *thine*
And doth admit no Night; but all doe ſhine
As well Nocturnall as Diurnall fires,
To adde vnto the flame of our deſires.
Let no offenſiue Miſt or Cloudie ſtaine
Mixe with the ſplendor of thy golden raigne;
Be all thy Thoughts borne perfect, and thy Hopes
In their euents ſtill crown'd beyond their ſcopes.
Let not wide Heauen that ſecret bleſſing know
To giue, which ſhee on thee will not beſtow.
Long maiſt thou liue, long may thy Royall line
Runne *paralell* with *th' mightie Palatine*.

Aſtra Deo nil maius habent, nil Cæſare Terra.

MELETEMATA,

IN HONORES NVPTIALES NOBILISSIMI *FREDERICI;*

Quo nihil in Terris ad finem Solis ab ortu
Clarius, excepto Cæsare, Mundus habet;

ET

AVGVSTISSIMÆ ELIZABETHAE,

Quæ *Veneris* formam, mores *Iunonis* habendo,
Sola est cœlesti digna reperta toro.

LONDINI.
Typis *G. Stansby*. Impensis *I. Budge*. 1613.

In Auſpicatiſs. Nuptiarum Diem.

Adeſte, adeſte, adeſte,
Molles Columbulilli,
Dulceſq́ turturilli,
Suaveſq́ murmurilli.
Abſint procul dolores,
Et frigidi timores,
Et feruidi mærores.
Adſis at O Cupido,
Cupidinumq́ Mater,
Comitetur & Iuuentas
Genialis & voluptas,
Et Charitum ſolutis,
Renitens corona zonis.
Adeſte, adeſte, adeſte,
Suaves Columbulilli,
Molleſq́ Turturilli,
Dulceſq́ murmurilli.
Dies ſit hæc notata
Candidulo lapillo;
Dies ſit hæc notata
Cryſtallino lapillo,
Corallino lapillo,
Sapphirino lapillo,
Beryllino lapillo,
Topazino lapillo,
Smaragdino lapillo.
Adeſte, adeſte, adeſte,
Dulces Columbulilli
Suaveſq́ Turturilli,
Molleſq́ murmurilli.

ASpicis aureolum radiati luminis Orbem
Purpureum vt vultum maturiùs exerat ortu,
Seriùs occiduis currum demergat in vndis?
Scilicet hic cupidus *Paranymphi* munus obire
Egelidos repetit flammâ propiore triones,
Et noſtram æternâ colluſtrat lampade terram,
Fœlici ſpondens fœlices omine tædas.

Ad Serenis. Palatinam Parodia* votiua.

Ex Erinnâ Lesbiâ.

DIva, præ cunctis sobolem valentem
Procrees, bellis habilem; feraxque
Non *Ceres* spicis magis, ipsa quàm sis
Prole virorum.

Soleil ne te caches, ia monstres ton visage,
Estendes tous tes rayons, soyes en tout splendent,
Nos cœurs ioyeuses du clart' illuminant,
Voicy ton frere, le soleil de nostre aage.
Phœbe *voicy ta seur, en forme si plaisante,*
Qu'a osté de la terre le noir temps de doleurs,
Qu'a osté des Anglois memoire de malheurs,
Le pais, de grande ioye benissante.
La paix au dignité, la beauté au liesse,
La grac'au vertu, ia est marriee
Elizabet *au* Fréderic *est donnee:*
Nos cœurs s'esiouyront vuides de tristesse.

Ad Illustriss. P. Archi-Palatinum, *Epinicion.*

MIlitat omnis amans. Facilis victoria. Dulcis
Et tibi præda fuit, nec tibi pugna fuit.
Ter-fœlix Princeps! Virtus tua *Cæsaris* instar;
Et venis, & vincis quam, *Frederice*, vides.
O iuvet hoc bellum! placeat sine sanguine bellum!
Quo *victor, victus, victa*, triumphat, ovat.

In

In Mensem Februarium Nuptijs dicatum.

IAne maritali* decorârunt Nomine Græci
Te; soleas thalamos quòd celebrare novos.
Martius at nuptis celebrat certamina; vicit
Mense quòd hoc *Martem** casta *Minerva* ferum.
Ergo cur thalamos celebrat *Februarius* istos?
Participat medius nempe ab vtroque situs.

* Γαμηλιῶν.

* *Alex. ab Alexandro.*

EX *Arcto emersit nitidâ præuobile sydus.*
En Fredericus *adest Princeps, cui pronuba* Iuno
Cæsarea Augusto *iunxit connubia nexu:*
Viuat Io *viuat stirps Augustissima Regum,*
Imperium fœlix teneat, sortemque receptam
Tradat ad innumeros solio superante Nepotes,

Cæsareâ insignes Augustaliqúe Coronâ.

In Annulum Nuptialem.

ANnulus æterni durabile pignus Amoris;
Ille suum finem nescit, Amorque suum.

CYnthia *quùm Phœbo concurrit in ætheris orbe,*
Astronomi perhibent affore deliquium:

Quod Luci obducit tenebras, Stygioſque receſſus
Proſole: hinc picea nube grauata dies.
Fallax Aſtronomus mentitur imagine vana,
Falſaque vel Phæbo *lucidiora refert.*
Nam prius occurſu hoc, Cambrorum ſignifer Orbis
Cernitur orbari, deliquiumque pati;
Quod gentem mæſta temerauit nube ſerenam,
Claraque inumbrauit gaudia nocte graui:
Aſt vbi Connubij, concurrit Cynthia Phæbo
Orbe, Britannorum Bauariæque decus:
Tartareas roſeæ tenebras diſcuſſit Elizæ
Tæda, Cupidineis *ignibus orta nouis.*
Et ſimul emittunt radios hæ lampades Orbi,
Ne grauior regnis nox foret vlla ſuis.

En iterum Britones *toties* Germania *victrix*
Vincit. Sed victis Dania *præſtat opem.*
Dania *victricem vincit; dux, fœmina; cedit*
Ceſto *iam* Cæſtus, Mars Veneriq; *minor.*
Ter quater ô fœlix victoria ſanguinis expers,
Vtraque quâ victrix, victaque neutra manet!

Ad Illuſtriſsimam Elizabetham.

Anna tibi mater; Diuæ *Annaque* mater *Elizæ*,
Marte potens huic Rex, & tuus arte, pater.

Virgini-

Virginitatis honos fuerit *cœlestis Eliza*;
Tu sis Conjugij dulcis *Eliza* decus.

Anni 1613. Chronographicum.

NOb ILIs est Consors LeCtI Fre Der ICVs ELIzæ
HIC LVCtVs nobIs er IpVItqVegraVes.
FeCerVnt trIstes heV nVper fVnera fratrIs*
Læta at nos Lætos ELI-sabetha *faCIs.*

**Viuat io viuat Princeps cœlestis & oli Mortuus, è tumulo fulmen iaculetur in hostes.*

Κούρη τρισμακαριστὰ πατρὸς πολυόλβου ἄνακτος,
Αἰδοῖη νύμφη πόσεως κλεινοῦ Φεδερῖκου,
Τίς μολπὴ καλὴν σὴν αἵρεσιν ἀρκεῖ ἐπαινεῖν;
Ἢ τίνα ἡμετέροις πέλε χάρματα ἀντιτίθεσθαι;
Ἀγγλία (ἀγγελίη δύνατ' ἀγγέλλεσθαι ἀμείνων;)
Χαῖρε, Παλατίνου τέλεται γάμος ἠδὲ Ελίζης,
Ἐξ ὧν ἡ γενεὴ μέλλει βασίλεια φύεσθαι.

ΚΟΡΩΝΙΣ.

PInge mihi Charites. *pinxi. Iam pinge* Camænas.
Depinxi. Nymphas *iungito*; *iunge* Deas.
Iam misce iunctos scitâ ratione colores,
Fiat vt hinc forma è pluribus vna Deis.
Factum est. Nunc castæ Mentem *depinge* Dianæ,
Palladis *ingenium*, Penelopes *genium.*
Pictum est. Iam dic tu FREDERICE *ter-inclyte*; Diuæ
Quæ pulchrâ hâc tabulâ picta sit? ELISABETH.

Τέλος.

Ad Illustrissimam Academiam Oxon.

Oedipodionias Amphion dicitur arces
Struxisse artifici dulcè sonante lyrâ:
Numen agebat opus, nec enim sine numine vates
Struxisset blanda mania tanta chely.
Has Phabus Cytharâ iussit consurgere turres,
Et dedit aternum numinis arte frui,
Nec iam se bijugo Parnasi vertice iactat,
Nec iam Castalij fluminis vnda placet.
Castalij Thamesis prafertur fluminis vnda;
Parnassoque magis Bibliotheca placet.
Cecropias (tantum quas Gracia iactat) Athenas
Condidit è Cerebro nata Minerua Iouis:
Tum Thebis tamque est Oxonia, maior Athenis,
Quàm Phabo Amphion atque Minerua minor.

APPENDICVLA.

In * laudem Iesuitarum:

Ioan. Bruno Italus laudauit Diabolum Witenbergæ publicè.

O Incurable mal, o gran fatiga,
Con tanta diligencia alimentada,
Hambre comun y pegaiosa liga,
Voluntad sin razon desenfrenada,
Del prouecho y bien publico enemiga,
Sedienta bestia hydropica hinchada;
Principio y fin de todos nuestros males;
O insaciable peste de mortales!

Ioh. Guzman Hispanus.

χωρὶς τῶν φίλων οὐδὲ ἀθάνατός γε θέλοιμι
Ἔμμεναι, οὐδ' αὐτῶν κόιρανος ἀθανάτων.

¶ Reuerendiss. Excellentiss. Doctiss.
D.D. *Abbot*, D.D. *Goodwyn*, D.D. *Benfield*, D.D. *Laud*, D.D. *Rawlinson*, D.D. *Langton*, D.D. *Osborne*, D.D. *Prideaux*, D.D. *Weston*, D.D. *Budden*, D.D. *Bust*, D.D. *Warner*, D.D. *Lapworth*, D.D. *Clayton*; M. *Seller* & M. *Corbet*, *Alma Acad. Procuratorib. Clariss.* M. G. *Perseo*, *Illustriss. Præsuli Londinensi à Sacris.* M. *Tho. Iamesio Bibliothecæ Ptolemaicæ Præfecto*; M. *D. Priceo.* M. *Marmaduc. Angrom.* M. *Gul. Martin.* M. *Griff. Powel*, M. *M. Richardsonis*, *Reginensibus*; M. *Philipson*, *Mertonensi*; M. *R. Zanchio*, M. *Th. Morton.* M. *Cluet.* M. *Fel*, M. *Burton*, *totiq; adeò Nobilissimæ Ædis Christi Oxon.* Magistrorum cætui: necnon D.D. *Hall*, M. *T. Walkington*, M. *I. Williams*, M. *A. Woods*, Cantabrigiensibus.

D. Patronis, Fautoribus, & Amicis suis æternùm honorandis.

O *Eruditi sydera seculi,*
Fulgor Lyceï flos Academiæ,
Honos Athenarum & Camenæ
Grande decus, columenq; nostræ;
Queis iam Thaliam subijcerem meam,
Eidyllium, Cœlum, Meletemata?
Vobis Amici; *stabo vestro*
Iudicio, Ellogioq; claro.
Quapropter, hæc si quem sinitis locum
Mele tenere (ac nuper Idyllia)
Præbebit ansam tanta nobis
Gratia, non iuvenile carmen
Effutiendi, sed grauius dehinc
Quiddam tonandi, quod Iesuiticas
Frangat Phalanges, & Cyclopum
Cerbereos reprimat latratus.

Clariss. Dominationibus V. deuotissimus,
IACOBVS MARTINVS, vtriusq;
Acad. Mag.

BEATISSIMI BODLAEI
Publicæ apud Oxonienses Biblio-
thecæ Fundatoris Illustrissimi

PROSOPOPOEIA.

QVid gemis raptum tibi me Calena?
Ipsa feciſti vt raperer, Calena.
Ipse per me mortuus? Ipse per te;
Astra nam cum tu nimiâ vsque ad alta,
Laude ferres nomina nostra; Dj, Dj
(Audin?) omnes, ne dubites, tibi me
Prorsus inuidere, polo & locarunt.

PARODIA.

HVius in Cœlo dubitem esse Mentem?
Totus in Cœlum meruit volare.

LECTORI.

SParge rosis cineres, nec desit gloria veris
Primula; & adde rosis cinnama, thura, crocos:
Costum fer, myrrham, violas, opobalsama, amomum,
Cum casia nardum, malobathrumque dato.
Semper odorata Bodlæus vernet *in vrna,*
Semper adoratus dum regit astra Deus.

I. A.

OMNIBVS PRINCIPIBVS TOTIQVE TERRARVM ORBI, ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ:

Seu

ARIAE MONTANI,

De imminente Jesuitarum ruina Vaticinium.

Omnia hæc in ibusd. Edit. â liturâ delesunt, vt antauit Clariss. Iamesius —quem pulcer Apollo nnes per montes, atque antra omnia duxit.

IN Præfatione Bibliis Interlinearibus præfixâ habentur hæc verba contra eos * qui soli sapere soli bene viuere Iesumque propiùs insequi sibi videantur, atque id palàm professi jactitent. Atque hi (*inquit*) quod neminem qui aliàs benè audiat, palàm improbare audent, aliorum quos ad eam rem occultè inducere possunt ingenijs & nominibus abutuntur. Horum autem nos nec artes fallunt, nec gregem prodere aut cognomen indicare juvat: vtuntur quidem illi magno & inaccessibili ad suas agendas res mysterio, sed quòd facilè ijs qui simpliciùs apertiúsque agere volunt, pelluceat: quodq; non post multos annos tandem aperiendum est virtute illius qui illuminabit abscondita cordis & occulta tenebrarum; tunc laus erit vnicuique secundum opera sua.

Anno vltimæ Dei patientiæ.

1613.

IVSTA FVNEBRIA
PTOLEMÆI
OXONIENSIS THOMÆ BODLEII EQVITIS AVRATI CELEBRATA
in Academiâ Oxonienſi
Menſis Martij 29.
1613.

OXONIÆ,
Excudebat Joſephus Barneſius, & Londini væneunt apud Johannem Barneſium propè aquæductum Holbornienſem. 1613.